

oblitus, sui quenq; situs diligentissimum autorem visum nobis in introitu huius operis. In hac tamen parte arma Romana sequi placet nobis, Iubamq; regem, ad eundem Caium Casarem scriptis voluminibus de eadem expeditione Arabica.

Arabia, Nomades, Nabataei, Omani, Tylos & Ogyris insulae. CAP. XXVIII.

**A**rabia gentium nulli postferenda, amplitudine longissima à monte Amanò à regione Ciliciae Comagenesq; descendit, ut diximus, multis gentibus eorū deductis illo à Tigriano magno, sponte vero ad mare nostrū littusq; Aegyptiacum, ut docuimus: nec non in media Syria ad Libanum montē penetrantibus Nubeis, quibus iunguntur Ramisi, deinde Taraniei, deinde Patami. Ipsa vero peninsula Arabia inter duo maria, rubrum Persicumq; procurrens, quodam naturae artificio ad similitudinem atq; magnitudinem Italiae mari circumfusa, in eandem etiam calipartem nulla differentia spectat. Haec quoq; in illo situ felix. Populos eius à nostro mari usq; ad Palmyrenas solitudines diximus: reliqua nūc inde peragemus. Nomades infestatoresq; Chaldaeorum Scenitae (ut diximus) claudunt, et ipsi vagi, sed à tabernaculis cognominati, quae Cilicijs metantur ubi libuit. Deinde Nabataei oppidum incolunt Petram nomine in conualle, paulo minus ij. M. pass. amplitudinis, circumdatum montibus inaccessis amne interfluente. Abest à Gaza oppido littoris nostri d. c. M. à sinu Persico cxxij. M. Huc convenit utrunq; biuium, eorum qui Syriae Palmyram petiere, & eorum qui ab Gaza venerunt. A Petra incoluerunt Pmani ad Characem usq; oppidis quondam claris à Semiramide cōditis, Abesamide & Soractia. Nunc sunt solitudines. Deinde est oppidum quod Characenorum regi paret in Pasitigris ripa, Forath nomine, in quo à Petra cōveniunt, Characemq; inde xij. M. pass. secundo aestu navigant. E Parthico enim regno navigantibus vicus Teredon, infra confluentem Euphratis & Tigris; laua fluminis Chaldaei obtinent, dextra Nomades Scenitae. Quidam & alia duo oppida longis intervallis Tigris praenavigari tradunt, Barbatiam, mox Thumatam: quod abesse à Petra x. dierum navigatione, nostri negotiatores dicunt, Characenorūq; regi parere: & Apamiam sitam ubi restagnatio Euphratis cum Tigri confluat. Itaq; molientes incursionem Parthos, operibus abiectis inundatione arceri. Nunc à Charace dicemus oram, Epiphani primum exquisitam: locus ubi Euphratis ostiū fuit, flumen salsum, promontorium Chaldone, voragini similis quam mari per l. M. ora, flumen Achana, deserta c. M. pass. usq; ad insulam Icharam. Sinus Capens quem accolunt Gaulopes & Chateni. Sinus Geranicus. Oppidum Gerra v. M. pass. amplitudine, turres hēt ex salis quadratis molibus, à littore l. M. pass. regio Attene. Ex aduerso Tylos insula, totidem milibus à littore, plurimis margaritis celeberrima cū oppido eiusdē nominis: iuxtaq; altera minor, à promon-

torio eius xij. M. pass. Ultra magnas aspici insulas tradunt, ad quas non sit peruentum. Huius ambitū cxij. M. d. passuum, à Perside longius abesse, adiri vno alveo angusto. Insula Asgilia, Gentes Nocheti, Zurachi, Borgodi, Catarai, Nomades. Flumen Cynos, Ultra navigationem incomptam ab eo latere propter scopulos tradit Iuba, p̄termissa mentione oppidi Omanorum Batrasabbes, & Omana, quod priores celebrem portum Carmaniae fecere. Item Omna & Athana, quae nūc oppida maxime celebrari à Persico mari nostri negotiatores dicunt. A flumine Canis, ut Iuba tradit, mons adusto similis. Gentes Epimaranitae. Mox Ichthyophagi, insula deserta, gentes Bathymi. Eblitei montes, insula Omœus. Portus Machorbae, insula Etaxalos, Onchobrice: gens Chadai. Insula sine nominibus multa. Celebres vero Isura, Rhinnea, & proxima in qua scriptae sunt stelae lapideae literis incognitis. Goboëa portus. Braga insula deserta. Gens Thaludai. Dabanegoris regio. Mons Orsa cum portu. Sinus Duatus, insula multa. Mons Tricoryphos. Regio Cardalena, insula Solanida, Capina. Item Ichthyophagorum. Deinde Glari. Littus Hammæum, ubi auri metalla. Regio Canauna, gentes Apitami, Gasani. Insula Deuade. Fons Goralus, Garpheti, insula Aleu & Annamethu. Gens Darræ, insula Chelonitis, Ichthyophagon multa, Eodanda deserta, Basag. Multae Sabaeorum. Flumina, Tamar, Annon, insula Dolica. Fōtes, Daulotes, Dora: insula Pteros, Labanis, Coboris, Sambracate, & oppidum eodem nomine in continenti. A meridie insula multa, maxima Camari. Flumen, Myssecros. Portus, Leupas. Scenitae Sabaei. Insula multa. Emporium eorū Acila, ex quo in Indiam navigatur. Regio, Amithoscuta, Damnia. Mizī maiores & minores, Drimati, Mace. Horum promontorium contra Carmaniam est. Distat l. M. pass. Mira res ibi traditur: Numenū ab Antiocho rege Mesenae praepositum ibi vicisse eodem die classe, aestuq; reuerso iterum equitatu cōtra Persas dimicantem, & gemina trophaea eodem in loco Ioui ac Neptuno statuisse. Insula in alto obiacet Ogyris, clara Erythra rege ibi sepulto. Distat à cōtinente cxxv. M. pass. circuitu cxij. M. pass. Nec minus altera clara in Azanio mari Dioscuriada, distans à Syagro extimo p̄montorio cclxxx. M. pass. reliqui in continente à noto etiā num Autarida, in montes vij. dierū transitus. Gentes Larendani, Catabani, Gebanitae pluribus oppidis, sed maximis: Nagia, & Tamna templorum lxx. Haec est amplitudinis significatio. Promontoriū, à quo ad continentem Troglodytarum l. M. pass. Toani, Acchitae, Chatramotitae, Tomabei, Antidalei, Lexianae, Agrei, Cerbani, Sabaei Arabum propter thura clarissimi, ad utraq; maria porrectis gentibus. Oppida eorum in rubro littore Marane, Marmæ, Coralina, Sabatra: intus oppida Nascus, Cardana, Carnus, & quo merces odorū deferunt Tomala. Pars eorum Atramitae, quorum caput Sobotale lx. templa muris includēs. Regia tamen

\* sic à tabernaculis cognominati Cilicijs, quae metan.

\* quod